



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici  
Semestria duo**

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1675**

Cap. VII. Ad cap. 1.&2. de Postulat. praelat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10224**

## CAP. VII.

## Ad cap. 1. &amp; 2. de Postulat. prælat.

## S U M M A R I A.

1. *Historica hujus capituli explicatio.*  
 2. *Philip. August. superinduxit uxori pellicem.*  
 3. *Ingeberga, Canuti soror.*  
 4. *Hugo de Nuceriis, Michael Senonens.*  
 5. *Petrus Corbolius.*

**H**Æc capitula intelligi benè nequeunt, nisi historicâ explanatione præmissâ. Hunc laborem recipiam in me, futuro fororum gratiâ. Anno Christi 1199. Petrus Capuanus, S. Mariæ in viâ latâ Cardinalis Diaconus ab Innocentio III. in Galliam legatus missus persuadere omnibus modis Philippo Augusto annisus est, ut Mariâ, Ducis Moraviæ & Bohemiæ filiâ, superinductâ pellice relicta, uxorem suam reciperet Ingebergam vel Ingebergim, Canuti Regis Danorum sororem. Sed cum Rex Philippus adduci non posset, ut reciperet conjugem legitimam, Legatus regnum Franciæ sub interdicto ponebat. Nuncii Regii appellabant. Huic interdicto subjectus fuit & Comitatus Antisiodorensis, quem Petrus comes hoc tempore tenebat. Episcopatum verò regebat Hugo de Nuceriis, interdicto non obtemperans. Cum itaque eodem anno moreretur Michael, Senonensis Archiepiscopus, Regis & Canonicorum communi consensu, postulatus est Hugo in Archiepiscopum Senonensem, quam postulationem declarat irritam Innocentius III. in odium Hugonis, quod interdictum non servasset, ideoque suspensionem incurrerat, atque Petrum de Corbolio, Innocentii III. quondam præceptorem in locum ejus substituerat. Postquam verò Rex Philippus rediit in gratiam cum Innocentio, & regnum ejus absolutum fuit ab interdicto per Octavianum legatum, Ostiensem Episcopum, idem legatus Petrum Corbolium Cameracensem Episcopum, ad Archiepiscopatum Senonensem promoveri curavit, volente ita Pontifice & Rege consentiente, quamvis cæteroquin ad dignitates Ecclesiasticas & beneficia, citra Regum Galliæ concessionem aditus non pateat exteris. Innocentius III. impetratis

*Historica hujus capituli explicatio.*

*Philip. August. superinduxit uxori pellicem. Ingeberga, Canuti soror.*

*Hugo de Nuceriis, Michael Senonens.*

*Petrus Corbolius.*

ita, quæ desideraverat, omnia Octaviani legati gesta confirmat cap. II. h.

## CAP. VIII.

Ad cap. 6. 7. 8.

## S U M M A R I A.

- |                          |                                                                   |
|--------------------------|-------------------------------------------------------------------|
| 1. Præcentor.            | 10. Hugo de sancto Salvatore,<br>Abbas ex alieno monaste-<br>rio. |
| 2. Heli, insula.         | 11. Abbas S. Sylvani Hesdinum.                                    |
| 3. Corbeia duplex.       | 12. S. Leufredi.                                                  |
| 4. Corbeia Saxonica.     | 13. Monasterium Andrense Car-<br>rofenſi ſubjectum.               |
| 5. Capit. 8.             | 14. Balduin, Ingelramus.                                          |
| 6. Andrenſe monaſterium. | 15. Abbatia de Ham.                                               |
| 7. Teroana.              | 16. Inſcriptio cap. corrigitur.                                   |
| 8. Geſſoriacus.          |                                                                   |
| 9. Carroſum.             |                                                                   |

*Præcentor.*

**C**um Londinensis Episcopus Præcentorem de novo instituisse, confirmavit hanc dignitatem Pontifex statuitque ut Præcentor parem dignitatem haberet in Londinensi Ecclesia, quem Præcentores alii in Ecclesiis Anglicanis obtinerent. Cantoria hæc functio quandoque dignitas, quandoque non est, pro consuetudine locorum. Rescribit Pontifex ad Episcopum Heliensem, seu Eliensem. Heli Stagnantium Insularum, maxima, ab anguillarum copia sic dicta, ut ex Bedâ refert Gvil, Malmesburiensis *lib. 4. de gest. Pontif. Angl.* Iste Eliensis Episcopus Cantuariensi Archiepiscopo suffraganeus est: Monasterium Corbiense seu Corbeiense est in Gallia ad ripam Somonæ seu Samaræ in Picardia fluvii, Ordinis S. Benedicti, Ambianensis diocesis, à sanctâ Batilde Clodovei II. cognomento, Insensati, Regis Galliarum viduâ, Saxonici generis heroinâ, in honorem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli fundatum, anno 662. *Sigebert.* Dicitur Corbeia vetus, ad differentiam Corbeie Saxonice, de qua *cap. 7.* in diocesi Paderbornensi, ad Visurgin anno 822, hortante Adalardo, Colonia scilicet veteris, à Ludovico Pio illinc deducta. Quod Johannes Trithemius ex Henrico de Hervordiâ annotat, &

mo.

*Heli, insula.*  
*Corbeia duplex.*